NENIÆ,

PIIS MANIBUS

VIRI QVONDAM

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, ATQ; CONSULTISSIMI

DOMINI

CHRISTOPHORI RICHTERI,

Citerioris Pomeraniæ Consiliarii Provincialis, & Inclutæ Reipubl. qvæ Stetini est, Consulis optimè meriti,

CONFLATÆ

à

qvibusdam

AMICIS.

STETINI,
Typis DANIELIS STARCKI, Reg. Gymn. CAROLINI Typogr.

Epitaphium.

EXuvias hîc, si qværis tu caute Viator,
Qvis posuit? Mecum tibi dicit Cinthius ipse:
Is, qvi Virtutum spoliis incessit opimis
Fascibus intentus sat, consilioq; Regetûm;
Qvem veneranda Themis magno donârat honore,
Dixerat & dignum, secretas pandere voces
Principibus coram, civitas cui sceptra locârat.
Vitis, ut arboribus decori est, ut vitibus Uvæ,
Ut gregibus Tauri, segetes ut pingvibus arvis,
Sic decus Hicce suis: Postqvam Ipsum Fata tulerunt,
Urbi Tænariæ Solem abscondêre Tenebræ.
Interitum illius montes, Sylvæq; loqvuntur.
Phœbi nutat Apex; trepidant formidine Lauri,
Ac totus sudat tristes Parnassus in Imbres.
Ipsus jam clarus miratur Limen Olympi,
Sub pedibusq; videt nubes, & Sidera clara:
Semper honos, nomenq; ejus, laudesq; manebunt.

Condolentiæ ergò hæc festinante
calamo scripsit

M. FRIDERICUS REDTELIUS,
Sch. St. SubRector.

Cur

Cur Oculos, vultus, & Hiantia pectora, Amici
Solvitis in fletum? Cur male vos geritis?
Curarum hic positus jam terminus atq; Laborum,
Et datur, â Sancto Numine, Sancta qvies.
Ingreditur reqviem, CONSUL VENERABILIS, annis
Jam Satur, & magno plenus honore, suum.
Per vallem mortis, nunc transit lætus, Eoam
Ad lucem; nullæ qvam tenebræ imminuunt:
Qvâ immarcessibilem nectit JEHOVA Coronam,
Qvam Capiti imponet, Cœlica dextra, suo.
Flere sinas Ergò, Proles RICHTERA, Parentem
Dum præît, nec eum mox periisse putes.
Mortuus est eqvidem Pater, at non mortuus Expers
Jucundæ laudis, nomen, honosq; manet:
Mitte igitur fletum, jam pectus tundere noli,
Non Curat madidas mors truculenta genas.
Fletibus & precibus nemo revocatur in auras
Vitales, tenuit qvem libitina gravis.
Est eqvidem dignus mœrore, est dignus honesto,
Munere qvi functus Consulis atq; Patris:
Dignus & Exeqviis, repeto, est qvoq; dignus honore
CHRISTOPHORUS RICHTER, Vir bonitate bonus;
Ast finis lacrymis nunc sit, cessentq; dolores,
Vivit & in Domino, gaudia lætus agit.
Tendimus hinc fato (non ignoratis) & omnes,
Felix qvi primus præmia digna tulit.

His luctum mœstorum abstergere & obitum Nobilissimi Consulis proseqvi, ut merito debuit, Sic lubens voluit.

M. C. TYDÆUS.

Heus

HEus! hominum inclemens domitrix Mors, parca Tyrannã,
Cur in laudatos sic furis atra Viros?
Qvorum decessus creber, velut edocet usus,
Urbis Proh! factis omina ferre solet.
Qvot sint illorum sublati tempore parvo,
Cor langvens prohibet commemorare dolor.
Hos cumulat, qvod jam RICHTERUS, Consul amandus,
Ereptum est iterum, Stemmatis acre decus.
Hinc Stetinensis celeberrima Curia plangẽ,
Jam plangit Soboles omnis ubiq; Patrem̃.
Civicus O! ordo, da veri signa doloris,
Qvot Mors tot perimat corpora grata Virûm̃.
O miseranda dies! trepidans cor pectora pulsat,
Es nimium semper tu mala digna notâ.
Hic Vir dignus erat, plures vixisse per annos,
Esset qvum validus Consilio esse suis.
Munera si spectem qvæ largè dextera sparsit,
Tutelamq; ejus, fletibus ora rigo.
Æternis opibus Te jam recreabit JESuS,
Et tribuet meritis præmia digna tuis.
Vos igitur Gnati, Gnatæ, vos insimul omnes
Affines, Generi, sistite nunc lacrymas.
Non etenim amissus, verum præmissus ad astrã
Cum Sanctis Jovæ regna beata tenet.

Debitæ observantiæ & condolentiæ ergò mœrens apponere hæc voluit

CHRISTIANUS Malchin.

